



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An, non solùm ad petitionem partis, sed etiam eá non petente juramentum suppletorium deferri possit à Judice, & de tempore, quo illud deferendum est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

Virum, cum à Iudice, ob inopiam probationis, in causa dubia iuramentum deferretur, illud Reo ad purgationem sui sive innocentiam suam demonstrandam, an verò Actoris in supplementum probationis deferri debeat?

Non potest certa regula generalis hac in re tradi, sed Iudicis arbitrio ex inspectis prudenter circumstantiis res relinquenda est. Uti colligitur ex *c. i. c. Inramentum §. sane h. t.* ordinariè quidem, & ceteris paribus reo potius deferendum erit à Iudice iuramentum, si actor probavit causam suam semiplenè, cum favorabiliores sint Rei partes, qui etiam sine iuramento absolvendus est saltem ab hac instantia, si actor nihil probavit: si tamen actor semiplenè probavit, nihil contra eum probante, sed tantum negante reo, iuramentum deferretur actori, qui de iure suo probavit aliquid, cum alter nihil probaverit. Plura tamen attendere debet Iudex in hoc iuramento deferendo. Primò, ut fiat præmissa causæ cognitione. Secundò ut actor semiplenè probaverit. Tertiò ne deferatur hoc iuramentum ei, qui cognitionem rei non habet. Quarò ut is, cui deferretur, non sit persona vilis aut infamis, sed fide digna, & honesta, nec suspecta de perjurio. Quinò ut causa non sit ardua, & magni momenti, in qua non deferretur iuramentum hoc: &c. Posito tamen, quòd actor plenè probavit per duos testes v. g. omni exceptione majores suam intentionem, reus tamen per unum testem contrarium semiplenè probet, non poterit reo in supplementum probationis plenè

deferri iuramentum, quia actoris plena probatio dedit semiplenam probationem Rei.

§. III.

In quibus causis iuramentum deferri possit, vel etiam debeat, sive à parte, sive à Iudice. Et in quibus non possit?

In omni causa, in qua licitum est transigere, potest etiam à parte parti deferri iuramentum voluntarium, quia tale iuramentum vim transactionis habet: necessarium verò iuramentum à Iudice in supplementum probationis ad petitionem Actoris Reo deferri potest in quavis quidem causa, ob *L. in bona fidei 3. Cod. de Reb. cred.* Excipiuntur tamen primò causæ criminales, in quibus potest quidem Iudex nonnunquam reo, ad probandam suam innocentiam iuramentum deferre, si actor non sufficienter probavit crimen, nunquam tamen actori seu accusatori in supplementum probationis, cum in tali casu, si criminaliter agatur, debeant esse probationes luce meridianà clariores *Leg. ult. Cod. de probat.* Excipiuntur secundò Causæ famosæ, & arduæ, quamvis his in causis multum possit Iudicis arbitrium. Tertiò excipiuntur causæ matrimoniales, in quibus regulariter iuramento suppletorio locus non est.

§. IV.

An, non solum ad petitionem partis, sed etiam eà non petente, iuramentum suppletorium deferri possit à Iudice, Et de tempore, quo illud deferendum est.

Ad primam quæstionem R. non tantum posse Iudicem hoc facere ex officio

officio suo, & eodem non implorato, sed etiam subinde debere, si id expedire æquum videatur, prout sumitur ex *cit. c. nls. §. Sanè h. t.* Cum enim Judex pro veritate eruenda modis omnibus laborare debeat, consequenter, si aliter veritas haberi non possit, & æquitas hoc permittat, potest etiam per juramentum eam explorare.

Ad secundum quæstionem *æ.* quod pars litigans ante conclusionem in causa possit, ac debeat petere delationem juramenti suppletorii, etiam si terminus ad probandum præfixus jam elapsus sit, & nulli testes amplius produci possint, cum in juramenti talis delatione non sit periculum subornationis, aut perjurii, sicuti posset esse in testium productione: postquam tamen in causa conclusum est, per quam partes omnibus ulterioribus probationibus renuntiant, & os quasi claudi sibi permittunt, nulla quidem à partibus peti potest juramenti suppletorii delatio, potest tamen hoc Iudex, si æquitas postulare videatur, ex officio deferre etiam in instantia appellationis, quia in ordine ad Judicem nunquam in causa concluditur.

§. V.

Quando, & in quibus causis Iudex possit ex officio à partibus exigere juramentum de dicenda veritate?

In causis, in quibus periculum animæ aut peccati subest, potest Iudex ex officio suo, deficientibus aliis probationibus, si adsint præsumptiones aliquæ, exigere juramentum de veritate dicenda à partibus, cogendo etiam eas, ad id cen-

suris Ecclesiasticis. Ut habetur in *c. Ead. teris 32. h. t.* cum Judicis sit, inquirere & quantum potest, cogere ad veritatem dicendam.

SECTIO III.

De interpretatione juramenti.

§. I.

Quomodo interpretandum sit juramentum?

Quoad obligationem suam strictam, lud interpretari oportet, quantum materia circa quam versatur, & pacti vel promissionis, cui adjectus promiserint, quia ubi de obligatione agitur, stricta fieri debet interpretatio, juxta *l. Quidquid 99. ff. de V. O.* Et cum non favor nec reverentia juramenti tantam extensionem exigant, sanctius servanda si stricta illius sit interpretatio: Et hoc juramentum generaliter editum ad servanda statuta v. g. extendi non potest, statuta illicita *c. Contingit 1. h. t. in c. Clericus 35. h. t.* neque ad servanda statuta usu non recepta, cum stricta juramenti facti explicatio ad hæc talia se non extendat.

Debet tamen juramentum præfixum circa materiam Juris, vel circa ea, quæ concernunt, intelligi secundum communis dispositionem, & ad illam restringi, neque ultra extendi, *Gl. in c. Primum V. Declaramus h. t. in c. juxta c. Ad nostram 21. h. t.* Cum intentio jurantis alia esse non potuerit, nisi juris communis observatio.